quorum apud PSEUDOPLUTARCHUM magna copia, ostendere quam parum conveniant aetati et moribus ISOCRATIS, sed fortasse iusto longior iam fui. Manum igitur de tabula.

Noorthei, m. Aprilis, 1855. T. J. HALBERTSMA.

CONIECTANEA.

MACROBIUS in Libro I. c. 16 disputans de Nundinarum origine ex RUTILII testimonio scribit rusticos intermisso rure nundinis ad mercatum legesque accipiendas *Romam* venire, unde etiam morem tractum, ut leges trinundino die promulgarentur. »Sed »haec omnia," pergit MACROBIUS, »negligentius haberi coepta »et post abolita postquam *in ternundino* etiam ob multitudinem »plebis frequentes adesse coeperunt." Illud *in ternundino*, ne Latinum quidem est, ideoque quidam scripserunt *in trinundino*, quod vel peius est, quia sic vestigia verae lectionis magis obliterantur; legendum enim arbitror, literis aliter divisis, *inter nundina*, cui correctioni nihil opus est addere.

In *Vita Tiberii* ultimo capite SUETONIUS de eius testamento scribit. »Dedit et legata plerisque, inter quos *virginibus Vestalibus*, *sed et* militibus universis plebique Romanae viritim, at»que etiam separatim vicorum magistris," in quibus duo sunt quae offendunt. Unum, quod nihil est, cui opponatur illud *sed et universis*, nam ut haec vocabula recte ponantur requiritur, ut primum sermo fuerit de peculiari quodam genere militum. Senserunt hanc difficultatem quidam librarii, qui suo Marte pro *sed et* scripserunt *ac*, et sic locum corruptum etiam magis corruperunt. Vitium enim non latet in *sed et*, sed in vocabulis *virginibus Vestalibus*, in quibus alterum illud me offendit, quod nunc dicam. DIO CASSIUS scilicet in Libro LIX. c. 2 narrat Caligulam per Senatum rescidisse quidem testamentum Tiberii, sed tamen quibus Tiberius aliquid legasset, omnia persolvisse,

et hoc loco nobis accurate de istis legatis tradidit, qui quantam pecuniae summam acceperint. Inter hos autem non virgines Vestales comparent, sed *οἱ δορυφόροι*, Praetoriani, *οἱ ἀστικοί* i. e. cohortes Urbanae, *οἱ νυκτοφύλακες* i. e. vigiles, et tandem nominantur *οἱ ἔξω τῆς Ἰταλίας ἐκ τοῦ καταλόγου ὄντες εἴ τέ τι ἄλλο στράτευμα πολιτικὸν ἐν τοῖς μικροτέροις τείχεσιν ἦν.* Suspicor autem in loco SUETONII olim lectum fuisse *vigilibus*, cui semel corrupto in *virginibus* deinde vocabulum *Vestalibus* a librario additum est explicationis gratia, ita ut SUETONIUS scripserit: »Dedit et legata plerisque, inter quos *vigilibus sed et* militibus »universis," in quibus verbis ne quem offendat *sed et* sic positum, confer OUDENDORPIUM ad SUETONII *vitam Tiberii* c. LIX. Si locum constituerimus sicuti diximus, ambae illae difficultates sublatae erunt, *universis* habebit, cui opponatur, et SUETONIUS amice conspirabit cum DIONE.

CICERO in *Disputationum Tusculanarum* Libr. II. § 27 invehitur in poetas propter malum quod afferant, quum lamentantes inducant fortissimos viros, et molliant animos nostros. »Recte »igitur" addit »a Platone *educuntur* ex ea civitate, quam finxit »ille, quum mores optimos et optimum reipublicae statum ex»quireret." Non placet verbum *educere: educimus* enim aliquem e loco, in quem antea intravit; PLATO autem in suam civitatem ne admittere quidem poetas voluit, igitur non possunt educi.

Legendum videtur minima mutatione *excluduntur*, quod verbum in hac re proprium est, ut apparere potest e CICERONIS *Philippica* V. § 29, *de Orat.* I. § 46, aliisque locis. Hac autem correctione probata praepositio *ex* delenda est, nam *excludere* construitur cum praepositione *ab*, vel nudo ablativo: gallinae tantum pullos *ex* ovis excludunt.

Apud CICERONEM *Actionis secundae in Verrem* libro V. § 152 sic legimus: »Verres ille vetus proditor consulis, translator quaestu»rae, aversor pecuniae publicae, tantum sibi auctoritatis in